Jagell.

Ordinis.

1700 die 3 Aprilis.

Gutewiński Alb. Antonii: Porta ad templum honoris – VII. VV. DD. primae laureae Candidatis – exstructa.

PORTA
AD TEMPLVM HONORIS,
Sub Tempus adapertæ in Vrbe
GRATIARUM PORTÆ,
VII. VV. PRIMÆ LAUREÆ
CANDIDATIS,
DVM PER
Clarissimum, & Admodùm Reverendum Dominum,
D. M. GREGORIUM
CAROLUM
KAWALCZEWSKI,
Philosophiæ Doctorem, & Professorem,
Collegam Minorem, Ecclesiæ Collegiatæ
SS. Omnium CANONICUM.
In Peraugusta D. Iagellonis Aula
Præsente Florentissimâ Illustrium Hospitum Coronâ
RITU SOLENNI,
Artium & Philosophiæ Baccalaurei
CREARENTUR;
AB
ALBERTO ANTONIO GNIEWINSKI,
EIUSDEM LAUREÆ CANDIDATO,
Opere Panegyrico
EXSTRUCTA.

Anno Iubilei M. DCC. Die 3. Aprilis.
CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

IN STEMMA,
Illuſtris, & Magnifici Domini.



Nobilitata ROSIS cerno cum Stemmata Ternis,
Flora quibus campos ſparſerit ipſa Tuos.
Te Floram incuſo parcam, cur mille recuſas
Perpetuas circum ſpargere ſcuta ROSAS
Si verum, quod ſcripta docent; quot verba, Roſæ tot;
Et poſſunt nitidas reddere verba Roſas
Crede: ROSIS ſi verba Viri penſabis abunda,
Hybla ſuis poterit tota carere Roſis.

ILLVSTRI, & MAGNIFICO DOMINO, D. ANDREÆ JOANNI à ZYDOWO ZYDOWSKI,

Vexillifero Palatinatûs, Vicecapitaneo & Iudici Castrensi Crac: COMMISSARIO Tribunalis Generalis Radomiensis.

Domino, Dño, ac Mecænati Amplissimo.

IN aperta Templi Honoris Porta, aditus mihi, ad Tuorum encomia Meritorum, eò latiùs patet, quò amplioribus Titulis illud ipsum illustrâsti, vnde alij cupiunt illustrari. Jllustris & Magnifice Domine. *Multos etenim, nascentes ab intra dignitatum fomites, vix levi adurunt scintilla; subitò illustrissimis Honorum ignibus accendi, in summa votorum habent: non illi merita tanto incendio ad alimentum, priùs suppeditare cupiunt; verùm præcocis stimulo ambitionis, supra terræ declivia, murmura aquarum, conturbati àëris mutua certamina, eluctari ad alti Sphæras Honoris, suo labori (si labor dicendus est,) potius fastui imponunt. Taceo raptas sine Iure Curules, & positas in brachio Purpuras, nobilioris furti indicia, vel blandienti aut levi obsequio, lusu veriùs emeritos fasces. Adoro Tanta Nomina, colo fasces, erubesco ante Purpuras; tacitus tamen irrideo lumina, quia subdolis artibus adaptata. Deferuntur ante illos graues effetæ cervici secures, & crebro scelere expolitæ, fulgurantibus è nitido radijs, pœnam malè suscepti honoris minantur. Tinctam murice lanam, fastuoso laxam ambitu, frequenti manu, benè pectori, brachio iacere iubent, malè iacet, etsi comas, vtpote vitioso induta quæstu. Verùm in longas me ambitus traxit querelas, insuave hoc esset, si coram Iudice non loquerer. Procul ab horum more Tua Integritas, mereris Honores, & infra Te sunt, superâsti meritis. Attigisti eo passu Dignitates, quo etiam sublimiores poteras:*

ast illas Tibi elegisti sapientissimè, inquibus de Repub: optimè mereri, de Palatinatu, fortunis Civium possis; Alijs Curules & fasces, finem laborum imposuêre, Tibi molem curarum: sub qua nunquam Te fatiscentem Polonia vidit, Palatinatus coluit. Omnium enim de Te hic sensus est: Te priùs à Spiritu destituendum, quàm à cura pro Patria, solicitudine pro Palatinatu, fervore pro aurea Polonorum libertate. Et certè nulla res tanta, hac rerum tempestate agebatur, cuius Tu non Arbiter & portio maxima. Centuriatis steterat Polonia ad Varsaviam Comitijs, sederat venerandus Patrum Ordo, Tota Nobilitas optimum poscebat Principem & Regem sibi, & priùs electurâ Marschalcum, Te pro meta habuit, nisi pulcherrimi vicissitudo honoris Maiorem Poloniam evexisset: ast suffecit exploràsse æstimationem virtutum, pretium meritorum, & sensum innumeræ Nobilitatis, in Te vno suspensum. Vix AVGUSTUS II, *dono Superûm ad Polonam acceptus est Coronam, egenum stipendio Martem, raro exemplo, nimirum non sua gloriæ militantem ditaturus, per Te illo in negotio Marschalcum nostram egestatem levando, abundo peculij sui pondere oneravit. Enituit singularis in hoc Tua Prudentia, illam veneratus Poloniæ Gradivus, Patria complexa, iterum militem stipendio solatura, è Varsaviensibus Comitijs Tuam invitavit Leopolim Radomiamq; solertiam. Vidit* AUGUSTUS *quòd vbiq; ad Palatum illi, & Patriæ Te gesseris, sapidiorem à Tua dexteritate accepturus Gustum, ad Salisfodinas Bochnenses & Vielicenses Commissarium deputavit. Quanta his, omnibusq; effeceris & efficis in negotijs, olim legenda posteritati, difficile est huic enarrare pagellæ, sufficiet venerari silentio; hoc tantùm exigo à rerum modernarum scriptoribus; postquam gloriosa Facta Tua enarraverint, addant: Tuum fuisse optimè agere, incorruptè stare & pugnare pro libertate. Omitto Te multoties Nuntium è Palatinatu Cracoviensi, Ducatuq; Zatoriensi perrexisse, illud omittere non possum, quòd semper pro Patriæ salute salutaria dixisses egissesq; Posco Coronatum Regni Palatinatum, ad Iudicia iustissimè currentia confluentem, quantam in Te adoret & dulcè Iustitiam veneretur, restauràsti veterem Iuris rigorem. Amandam Nobilibus disciplinam, & penitus omnium Legislatorum normam & effigiem expressisti: qui legit iustum Aristidem, & non novit, Te intueatur & noscet Aristidem: præsentibus sæculis Iustitiæ exempla & futuris ex Te sumentur. Inter hæc ergo maxima Honoris Tui & Meritorum Sacraria, admittas insinuantem sese cum Porta Honoris, suos Postes Gentilitijs coronaturam* ROSIS *Thaliam meam, quæ in hisce vinculis Pöeticis, mecum id efficiet, vt sim semper.*

Illustris, & Magnificæ
Dominationis Tuæ,

Devinctissimus ad obsequia Servus,

ALBERTVS ANTONIVS GNIEWINSKI,
Primæ Laureæ Candidatus.

B. JOANNIS CANTII,

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Professoris, Almæ Vniversitatis Crac: ET REGNI POLONIÆ PATRONI.

Supra Portam Templo Honoris contiguam, *EFFIGIES ab ipso Honore, veterum more appensa,* Heroico carmine celebratur.

VIdit Honor, viduas habeat quòd Regia valvas
Effigie Superûm, fulsit nec qualibus olim
Coriliumvè Samusvè Dijs, sententia menti
Venerat ex templo Divûm, quo Numine Cardo
Sacratus trepidet. Mater jam Iuno Deorum;
Iam præsens Saturnus erat, sævusq; Gradivus,
Et tristem clypeum Pallas serpente volebat
Ante Dei monstrare fores: pertæsus Apollo,
Tam longas versare moras, in monte bicolli;
Et sylvam mulcere feram, populumq; comatum
Auratos inter titulos, fusasq; curules
Et fasces resonare lyrâ cupiebat amænâ.
Sed clades memoravit Honor, murmurq; per astra
Pro Domino, solioq; simul, discrimina rerum
Ne timeat, fastumq; Deûm: submovit adortum
Molimen: tamen ambitiosa Palatia fronte
Excoluit, jussitvè suæ Polycletus vt artis
Ostendisset opus: sublimis honoris avaras,
Ast vetuit formare genas, exosa Curules
Ora, super pendere fores mandavit eburnas.

Obſequio mandata Faber Polycletus alacri
Pollicitus præſtare Deo; meditatio tandem
Eſt complexa virum, cuius ſudaret in ore?
Hac rerum ſpecie turbatum, in vincla prehendit
Multivolus terrore ſopor; revocavit ab intra
Naſcentes primò facies, Doctoris Honori
Viſa Viro ſtare effigies, fluitante repandam
Et terram lambente Togâ, cervice repoſta
In niveo muſtela fuit, ſubſtratus Honoris
Faſtus erat pedibus: (ſomnum quid carmine ludam?)
CANTIVS enituit. Somnos abrumpit inertes
Artificis laudanda quies, ſubitoq; per umbras
Donatam faciem, rubicundo in marmore fixit.
Obtulit ergo DEO, vultum Polycletus amicum:
Riſit Honor, contemptus iter quòd ſterneret, altum
Qui refugit perſæpe caput, mox oſcula fixit,
Et Fabri laudavit opus, poſtiq; IOANNEM
Appendit. tremuêre fores, ſenſêre gravamen
Templa vagis ſacrata Togis, Sacrata Curuli.
His Honor actus (ait) mea ſi quid Numina poſſunt?
Si quid verba preceſq; iuvant, digneris anhelas
Ad faſces removere manus, & pectora flammis
Non meritis accenſa arce, quem limine ſtantem
Te cenſore ſciam, titulis onerabo ſupernis,
Et Lauros Nomenq; dabo. Præſentia tanta!
Et veræ pietatis Honor! vultuſq; ſacratus!
Exemplar noſtris igitur ſit Dive PATRONE,
Protegat & Muſas Cracias ſplendore perenni.

CLA-

CLARISSIMIS, & ADMODUM REVERENDIS DOMINIS,

DD. EXAMINATORIBUS.

Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. GABRIELI PROFECKI,

Philosophiæ Doctori, & Professori, Collegæ Maiori, Ecclesiæ Collegiatæ ad S. ANNAM Crac: CANONICO, PRÆPOSITO Rymanoviensi, CVRATO in Michałow, ac interea Facultatis Philosophicæ

DECANO.

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. PETRO ŁVZENSKI,

Philosophiæ Doctori, & Professori, Collegæ Maiori, CVRATO in Sieprawo.

Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. GREGORIO KAWALCZEWSKI,

Philosophiæ Doctori, & Professori, Collegæ Minori, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium CANONICO.

JN ARGUMENTUM DEBITÆ VENERATIONIS.

Templum Honoris apertum, multis sedilibus conspicuum.

CVM LEMMATE.

Promeritæ Virtutis honos.

AVro pluentes in calamum iuvat
Vocare lymphas, vel pretium Tagi
Haurire pennâ, perq; Lesbum
Dulcisono fluitare plectro.
Ludunt Coronæ flamiferis enim
Circumq; vatem fulguribus, rubent,
Et saxa, passimq; & lapilli
In virides agitantur ignes.

Quis ordo rerum? iam viror igneo
Calore fervet, ſubviridi coma
Flammæq; vernant, tam biformi
Svevit Honos radiare luſu.
Præter corollas ſanguineo madent
Et ſerta nimbo, deciduus cruor
Oſtriq;, Regales ſupernè
Condecorat, coloratq; faſces.
Sed quid remotas in Trabeas chelÿs
Pulſanda vergit, ſunt Trabeæ domi,
Ardent coronæ, vel revincti
Fronde comas ſinuant corymbi.
Offers PROFECKI purpureo ſatis
Honore vultum, quem ſapientiæ
Vis, & canoræ laudis ordo,
In Cracio celebrat Lycæo.
Non ſic Platonis Stoa recondito
Ab ore vidit perſpicuas citò
Manare cauſas, vt rotundè
Cauſa fluit, facileſq; rerum.
A Te repulſæ. Si refugi Patrum
Anni venirent, in dubÿs Sophûm,
Tunc dona mirarentur altæ
Mentis & ingenium ſupernum,
Quò Tu Ducales in Patria Mitras
Clarere firmis ſemper honoribus,
Ceu Chiron alter comprobabas
Principibus meritis, modumq;
Vitæ dediſti. Sic comitas pia
Et candor vltro laudibus eminet
Prudenſq; virtus, morum honeſtas,
Integritas animiq; clarent.
Pando ŁVZENSKI congeriem Tibi
Laudumq; cenſum; Te niveis Honor
Portat quadrigis, & volantem,
Aſtra vehunt, Zephyriq; ſuaves.

Tam

Tam scandis altè flammigeros super
Honoris axes, quàm Tua Dogmata
Sublimè splendent, atq; Stoa
Promeriti radiant honores.

Quos cura dulcis, cum studio Tui
Dedit Curuli, nec pavidâ rotat,
Ad quosvis vltrò perferendos
Sorte tuis humeris labores.

Capesse Maius Vestibulum Viris
Illustre Magnis, quod meritis, simul
Virtute lucraris, bonisq;
Sæcla Tibi famulentur annis.

Et Te celebrem GREGORIUM *meis*
Decanto metris, si gravitas sui
Inferre telluri refusa
Expeteret simulacra vultûs.

Certè iuberet Pamphylium genas
Pinxisse tales, vt Tibi sedula
Natura donavit, referret
Sic proprium, imò Tuum, per Orbem.

Ex asse vultum. Non RADIVILII
Appendo laudes; sat cano gloriæ,
Si dico sublimis profectò
Principis ora tuis onusta

Manâsse factis; nec cano qualiter
Amaret altum Iudicium Tui;
Mutesco, sed dico futuris,
Alba Ducum stupuit Regentem

His ergo Sacris Ternio nobilis
Assurgat vltrò sedibus altior
Fortuna, vestros atq; demum
Celsus honos decoret labores.

PORTA,
AD TEMPLUM HONORIS.
Varijs cuiusvis competentibus virtuti & conatui Symbolis, adiecto circumquaq; encomio,
ADORNATA.
I. V. D. ANTONIO MICHALKOWSKI.
Symbolum: Duæ manus ad fœdus concurrentes, vna contracta (Philosophiam) altera explicata (Eloquentiam) è sensu Zenonis desingens.

CUM LEMMATE:
Hâc cresces concordiâ.

Dissidium certare priùs cognoverat orbis,
Inter Aristotelem, Romani & Principis altum
Eloquium; nam parca Sophis sunt verba relicta,
Et ratio nudata placet; fluitare tumenti
Orator sermone flagrat, laxoq; paratu
Verborum librare modos. Iam pugna dirempta
Discordesq; animi; quando convenit in vnum
Pectus vterq; Tuum: nec Magnus Tullius exul;
Ast propriam labijs suadam posuisse videtur,
Et flores misisse simul: nec magnus eòdem
Cessit Aristoteles, cupido argumenta repandit
Et mentem ratione levat; meditatio fronti
Assiduò deposta viget, loquiturq; profundos
Esse Tibi sensus. Tantâ properabit Honoris
Emeritum virtute Decus, qui limina tangis
Nunc primus, certè doctos Divina corymbos
In caput & Pallas manibus cumulabit apertis.
Cresce pari virtute libens, & crescet Honoris
Pulcher apex, didicit meritis penetrale patere.
Crede metris; arcana latent nam sæpe sub illis.

II. V.D. THOMÆ KIWATSKI.

Symbolum: Euryppus Aristotelis excipiens Tulliana flumina.

CUM LEMMATE:

Altius aucta ferentur.

INgenium loquitur facies, dotesq; politas
Ipse suas, vultus prodere sæpe solet
Quæ condunt arcana fibræ, ferventq; sub imo
Pectore, vel candor, scripta, refertve rubor
Si frons læta micat, mentem gaudere memento,
Et propriâ lætos ducere sede dies.
Si diffusa iacet pulchroq; tumore superbit,
Tota cupit tumidos frontis habere locos.
Quando Tuam specto faciem, vultumq; serenum,
THOMA, credo tuis cuncta sepulta genis.
Suada suas si vellet opes celebrare per orbem,
Optaret verbis talia labra suis
Plurima linguarum vellet si pugna Platonem,
Et calidis rixis pallida Stoa frui,
Arma scias, quæ iacta forent, depelleret ille
Et varias per te vinceret ore scholas.
Qui Logicas noscis spinas superare labore,
Ille rosis (speres) sternet honoris iter
Ex quibus & murex, nitidi nascentur & anni
Ac capiti dabitur pulchra Corona Tuo.

IV. V.D. MATHIÆ JAMBORSKI.

Cælum multis illustre sideribus, vt nocte videatur.

CUM LEMMATE:

Aliquando meridies.

POlos meretur dignus, & æthera,
Quem pulchra sparsis sideribus vocat
Arctos nivalis, vel molestos
Quando Canis jaculatur ignes.

Tuos labores sollicit**i** vehent
Cæli MATHIA, Te celeri rota
Ducet Bootes, & coruscus
Orbe supervolitando dicet,
Leonis iram, temperiem Capri,
Solis recursus, quas tolerat Soror
Phæbi tenebras, quò locorum
Et solitos patitur labores.
Quare venusto iam studio Tuas
Intende curas, eloquio Polos
Si iungis ardenter, rotundos,
Digna Polo geminata fient.
Nec Porta Templi clausa beabilis,
Arcebit almos à foribus gradus
Honoris, ignes cùm Polorum
Aula suos reseravit ingens.

V. V.D. LAURENTIO PIETRASZKIEWIC.

Convolantes apes in prata delibatura flores.

CUM LEMMATE:

Collecta juvabunt.

SI quem fluminibus Pater
Bini fatidicus jugi
Immersit tepidis, pluent
Cultis labra sonis, vigor
Oris, perpetuâ Rosâ
Immistus refluet, dabit
Dignum marmoribus, quibus
Semper fama iacet Virûm
Æuo visibilis. Tui
Si cerno labij jocos,
Si dotes veteris soni,
Credo, Musa aluit genas,
Et suadam posuit super
Linguam; cum nitidis scatet
Undis, & ligat aureo

Nexu

Nexu, Mercurius calet,
Vt vincire frequens reos,
Et lætos superûm Deos.
Quare cum voveo Tibi
Conatum eloquij; volo
Virtuti adstet Honos, caput
Ac circumsaltant comæ.

VI. V.D. SIMONI KOWALINSKI.

Spinæ Rosis, cæterisq; floribus intermixtæ.

CUM LEMMATE:

Tutamen & corona.

SI quem loquela dulcis
Vrit, manente flammâ
In corde, si Pericles
Accendit igne fibras;
Dico Platonis artes
Priùs talenta cordi
Subdent, vigilq; menti
Scintilla si recumbet,
Huius resurget alto
Orator ore, plebem
Mulcebit, ignem & oris
Sparget, Rosæq; crescent
Ex igne, cùm perustus
Rubor fluet suadæ.
Hæc norma temet ornat,
Mentemq;, quam scienter
Impende, cùm Sophorum
Rues in arma præceps,
Et Tullij fluentem
Ne linque præstò fontem;
Te Pallas alma, sorsq;
Honore, tum corymbis
Cultè teget SIMONEM.

VII. V. D. CASIMIRO ADAMKIEWICZ.

Sagitta ex arcu volans.

CUM LEMMATE:

Quò fortiùs, altiùs.

VLtimâ virtus minimè veretur
Sede donari, similes lucratur
Dum comas Lauri, tituloſq; plenâ
Sorte meretur.
Gemma Regali radios Coronâ
Quæ jacit, fronti iaceat repoſta,
Mordeat culmen, Diadema ſtringit
Attamen illa.
Cum ferax linguæ ſtudium ſacratis
Cumbit in fibris, decorat Sophorum
Te labor ſcitus, ratioq; prompta,
Currit ab ore.
Hæc juvat paſſum, celereſq; ſæpè
Hic ciet greſſus, properant & ipſæ
In caput laurus, famulatur umbris
Culmen Honoris.
Quò vocant ergo meritum decuſq;
Iam tuas dotes, animo prehende
Gemmeo limen, celeri patebit
Cardine porta.

III. V.D. ALBERTO ANTONIO GNIEWINSKI,

Authori Operis.

è voto fraterni & mutui affectus,

ANTONIUS MICHALKOWSKI,

Eiuſdem Laureæ Candidatus

appendit Symbolum:

Metam variarum ſcientiarum oneratam imaginibus, ad quam collimat ſagittarius.

CUM

Cum Lemmate:
--- Vnoq; ſub ictu,
Vota & honores.

DIcite Pierides mentem laudanda mereri,
Quam fontes aluêre Iugi, quam Clio venuſtis
Inſperſit facunda Roſis, facili q; paratu
Mandavit celebrare pares, ſententia veſtris
Hæc animis ſi firma ſedet, nil pulchrius altum
In laudum migrabit opus, quàm candida virtus
GNIEWINSKI conceſſa Tibi, dotalis in omnes
Virtutum formas: cupiunt ſi flumina ſvadæ
Exundare ſuis, populi per colla procellis,
Concurrunt ad labra Tui. ſi fonte Caballi
Immergis calamos, alijs non Muſa loquelis,
Mulceret feſtiva Deos, recrearet amænam
Et Montis ſylvam, tacito quæ nata ſub ore,
Nunc primùm cepiſſet ovans, matura per aures,
Vexiſſet laudata Deûm. Si tela Sophorum
Sunt pellenda Tibi, facili depulſa conatu,
Te noſcunt ſciviſſe dolos, penetrâſſe receſſus,
Quid valeat doctrina Tui, commiſſa Politi
Ingenij ſat cura docet, Soboleſq; Parente
Digna ſuo. Quare voti hæc eſt meta relati:
Vt meritis cumulata ſalus oneretur honore.

Sub Felicissimis Auspiciis,
Magnifici, Perilluſtris, & Reverendiſsimi Domini,

D. M. MATHIÆ PSOIECKI,

S. Theol: & V. J. Doctoris & Profeſſoris, Protonotarij Apoſtolici, Collegæ Majoris, Eccleſiarum Collegiatarum, SS. Omnium Præpositi, S. FLORIANI ad Crac: & Opatovienſis Decani, Scholastici Curzelovienſis, Cancellarii Poſnanienſis, Cvrati in Ośiek, Contubernij Iagelloniani Provisoris, S. R. M. Secretarii,
Studij Almæ Vniverſitatis Cracovienſis,
Generalis, ac Vigilantissimi
RECTORIS.